G. VII. C26
45898
16956/p

BIGÆ HYPOTHESIUM LEIBNITIANARUM,

QUARUM PRIMA EST

DE

PESTE CERTO AVERTENDA

ALTERA

DE

MORTE IN EXILIUM ACTA

(du banniſſement de la Mort)

MODESTAM PENSITATIONEM

Auxiliante Numinis Supremi Gratia,

Decernente Ampliſſima Facultate Medica,

PRÆSIDE

ELIA CAMERARIO,

MED. DOCT. AC PROF. PUBL. ORD.

CONS. ET ARCH. WIRT.

PRO LICENTIA

ac Doctoralibus in Medicina Honoribus legitime obtinendis.

Publico ac Solenni Eruditorum Examini ſubmittit

ERNESTUS CHRISTOPH. CASPAR, Göpping.

Ad diem Octobr. Anno 1721.

TUBINGÆ, Literis JOSEPHI SIGMUNDI,

Tom: 69: 47.

LIBRARY

Prima Hypotheſis Leibnitiana de Peſte certò arcenda.

EXcellentium virorum effata tanquam inſignes edecumatæ ipſorum prudentiæ fructus colligere ac ſolicitè cuſtodire par eſt, non quidem ſervili animo propoſitoque, ut ſola autoritatis vi permoti iis aſſentiamur, ſed potius ut probemus omnia, id verò quod bonum ſolidumque eſt, retineamus. Leibnitiana pleraque in hunc cenſum peculiari quodam ſuo merito referri merentur; Quis enim ſine voluptate legat Viri Illuſtris inſignia, ac utplurimum non ſine meditatione profundiſſima enata apophtegmata, ac ſententias paſſim ſparſas; dolendum enim fatendumque eſt, uno nexu ac ſyſtemate egregia tanti Philoſophi cogitata nullibi connexa junctaque in unum exhiberi. Colliguntur verò nunc ſubinde ſcriptorum tam Illuſtrium faſciculi, quod & nuper gallico ſermone factum eſt, qua quidem in collectione unam alteramve hypotheſin ipſis his diebus advertimus, quæ attentionem noſtram ad ſe pertraxere. Primam deprehendimus expreſſam in Epiſtola ſcripta ab Ill. Viro ad D. Abbatem de St. Pierre circa negotium graviſſimum, probatumque omninò D. Bar. Leibnitio, Pacem ſcilicet perpetuam, non talem vulgari

ſenſu, ſed talem quæ ſtabili nitatur fundamento ac imperturbabili ; Ibi Peſtis quoque Polyhiſtor inſignis mentionem facit, ſed obiter, ita tamen ut noſtram excitet attentionem, ac meditationem, ita verò, ſi latino ſermone gallica ſatis exprimere ſciamus, mentem effert ſuam : Poſſent homines liberari à malis infinitis, modo firma id voluntate vellent. Si quinque aut ſex perſonæ vellent ac conſpirarent, poſſent omninò finem imponere Magno Eccleſiarum occidentalium Schiſmati, Eccleſiæque reſtituere ordinem decentem. Quilibet terrarum ſuarum Dominus, modò velit ſeriò rem agere, ditionem ſuam à peſte poteſt præſervare, Sereniſſima Domus Brunſuicenſis egregio rem eam, Deo ſint laudes, egit ſucceſſu. Peſtis dum eas incolo terras, ſubſtitit in earum limitibus, nec eos transgreſſa eſt. Poſſet quoque Dominus aliquis terras ſuas à fame liberas ſervare. Sed ad bella coercenda, atque arcenda novo alioque opus foret Henrico quarto, qui unà cum quibusdam aliis magnæ poteſtatis Principibus Tuis (hæc Abbati Ill. ſcribit) aurem præberet conſiliis. Dolendum verò hæc talia tam difficulter magnis acceptabilia reddi Principibus. Homini privato haud licet talia tentare, aut proponere ; imò vix Principes minus potentes potentioribus ea auſint commendare ; Poſſet forſan intimus Status miniſter in ipſo mortis articulo eò audaciæ progredi, ſi maximè familiæ commoda eum non jubeant ad tumbam usque imò ultra eam extendere politicam ſuam diſſimulationem ac reticentiam. Interea ſemper erit conveniens atque utile, ut publicum de re tam gravi fiat certius, erit forſan aliquis magnatum, de quo nemo id præſumſiſſet, qui nemine forſan de ea re cogitante ad animum rem tam arduam revocaverit. Semper tibi pendeat hamus, quo minimè reris gurgite piſcis erit. In epiſtola porrò ad D. Remond, ubi eandem pacis perpetuæ factam ab Ill. Abbate commendationem encomiis ornat, addit Ill. Leibnitius. Certum

omni-

omninò eſt, ſi quidem vellent homines, poſſent ii ſeſe præſtare liberos à tribus illis maximi momenti flagellis, bello, peſte, ac fame. Et duo quidem hæc ultima, quod concernit, quilibet Princeps ſufficit rei ſolus, contra bellum vero requireretur conſenſus Magnatum obtentu ſanè difficillimus, Curioſa verò, ita pergit, hæc materia magis adhuc elegantiusque poſſet deduci, maximè ex hiſtoria.

O vero beatum genus mortalium, ſi iſta DEi flagella ſuâ quaſi in poteſtate habeat, eaque vel recuſare vel admittere ipſi integrum ſit! Ita exclamaverit forſan mens aliqua ſecurior, nec viarum Domini ſatis gnara. Nos alia nunc incedemus via, Medicoque oculo obiter ſaltem, quousque ſcilicet permiſerit breviuſculæ diſputationis ratio, contuebimur Peſtem; ejusque phænomena. Ecquis enim non ad Peſtem hodiè attentus eſt? quis non eam vi omni niſuque & ingenii & armorum, ſi quidem integrum ipſi liberumque fuerit, à finibus ſuis arceat?

Innectitur verò hæc diſquiſitio noſtra alii controverſiæ magnis hodiè animorum motibus paſſim agitatæ, & proin ante omnia nobis enarrandæ, de Contagio ſcilicet Peſtis, de ejus in alia corpora tranſitu vel negando vel concedendo. Quis autem id negare ſuſtineat? At vero negant omninò hunc tranſitum plurimi iique non ex plebe Viri. Et ſi quidem oſtendere valeant clarius, quod pronunciant audacter, nemo non videt, jam fore facilius negotium arcendi peſtem pro lubitu à regione aliqua. Ipſi ſcil. Medici qui aflictæ Provinciæ heroico auſu inſerviunt dividuntur in Contagioniſtas & Non-Contagioniſtas (quos quidem terminos æque ferendos cenſet acillos Conſtitutioniſtarum & Anticonſtitutioniſtarum Ill. Scheuchzerus) hi quidem eò usque confidentiæ ne dicam cum Viro Ill. temeritatis procedunt, ut demortuorum peſte cadavera ſecent, vivorum lectis inſideant, manus & omnia tractent, ac ſi cum Rege terroris morte pepigiſſent fœdus; quum tamen hi ipſi

 non

non ſemel propriis viderint oculis, in eadem æde unum poſt alterum, eodem die, vel craſtino Peſte affectos, & ſeptimanæ ſpatio familias integras extinctas. Ipſi ſcil. illi Medici ac Heroes Monſpelienſes ſpatio unius ſeptimanæ in proprio ſuo hoſpitio ad plures abiiſſe viderant ſex domeſticos, & tamen, tanta eſt præjudicii vis! hoſpitio ex cedere nolebant, niſi ab Archiepiſcopo rogati; perſvaſi ſcilicet, malum in corpora alia tranſire nec poſſe nec ſolere immediate. Dudum quoque alii ex Medicis terrorem unicè quaſi accuſarunt, ſine cujus acceſſu vix propagatio peſtis queat contingere, quos citat Laud. D. Scheuchzerus.

Nec iſtæ quæſtiones ſaltem in Galliis fatigant animos, inter ipſos quoque Anglos eadem gliſcunt certamina, & actiora ferè; poſtquam enim Cel. D. Mead in publicum dediſſet ſua circa peſtem cogitata, inſcripta Secretario ſtatus Cragſio, quæque huc non tranſcribemus, utpote omnibus jam dudum nota, ſurrexit brevi poſt Anonymus, qui in: Doctor Mead's Short Diſcourſe explaind, omnem ingenii nervum eò intendit, ut hominum animos contra metum infectionis omnem obfirmet, demonſtretque; nec in aliorum corpora ex ægris tranſire contagium, nec in merces, ac proin nec cum his ad exteros aſportari. Libet vero ex Anglico hoc ſcripto, ab Amico nuper nobis ex Anglia allato quædam facientia ad ſcopum noſtrum huc trahere, ac obiter contueri.

Multum verò ſibi placet, plauditque Anonymus, hic Anglus, quod cum Meadeis multas quoque vulgi opiniones exploſerit, cum interſit generis humani circa talia rectè ſentire; quam facile ſit, exclamat Anonymus, univerſalis ille metus terrorque diſpellitur, quantaque & quam ſolida ſecuritas acquiritur, cum ratio ſemel convicta eſt, Luem peſtilentialem non capere initium à contagio, nec generari propriè loquendo ex contagio? Nec propagari dirum hoc malum ex ægro

infe-

infectoque corpore in aliud ſanum corpus; nec nidificare id, nec foveri, nec nutriri in mollibus poroſisque corporibus; neque proin ſemina ejus tranſmitti ac propagari hac via in terras alias remotas: Non poſſumus verò non quærere ex Doctiſſ. Viro; Quamnam nobis hic ſecuritatem prædicet, libertatemque à metu? Similem ſcil. illi, qua is gaudet, qui dormit in ſummitate mali, aut inter latronum acinaces ſtrictos. Credemus ne intereſſe generis humani ut ſibi ipſi tanta cum fraudulentia imponat, meriſque nixum conjecturis obloquatur experientiæ omnium temporum frequentiſſimæ totque triſtibus exemplis dudum irrefragabiliter ſtabilitæ? Aliis adhuc fulcris indiget nova hæc, imò portentoſa hypotheſis, antequam ſua omnes in caſtra valeat pertrahere.

Nimium verò animoſus videtur adverſus D. Mead Anonymus, cum audacter aſſerit, manifeſtum eſſe, eum nihil circa propagationis contagii cauſas dixiſſe ad rhombum, (qui tamen non pauca habet memoratu digna) ſed rectius ab aliis dicta pervertiſſe, quippe qui ea via propagari cenſeat contagium quæ conſuetis naturæ regulis ſit prorſus adverſa, ac defectibus proin obnoxia, etſi peculiarem hanc excellentiæ ejus notam laudet, quod differat ab aliis methodis antehac æſtimatis in Anglia, atque exteris communiter quoque probatis. Nam, pergit, antehac gens Anglica, æquè ac exteri exiſtimabant neceſſarium eſſe, ut ſeminia luis, æquè ac ſemina alia habeant matricem illis recipiendis aptam, quæ foveat illa, excludat, incrementa det, naturæ ipſorum conformia, neque enim pervidere poterant, quî lues plus poſſit in matrice ſua ex ſe producere ac ſuâ vi, quam quidem granum frumenti aut mali ſemen. Hic vero non attendit Vir Doctiſſimus, aliam eſſe rationem ſeminis vegetabilis ac ſeminii luis, etſi & hæc non alia ex ſe promat, quam indoli ſuæ convenientia, nec enim venereum miaſma peſtem efficit ſed veneream luem,

atten-

attendendum verò eſt ad multiplicationem hujus veneni ſeu ſeminii, quæ & alia longè eſt, & infinities promtior, quam ſeminis vegetabilis multiplicatio , quæ nititur rudimento primævo, machinaque organica, quæ à luis funeſto halitu ſunt prorſus aliena, unde hæc analogia non debuiſſet nimium extendi. Nec poſtulare poterat à D. Mead, ut monſtret cujusque hominis diſpoſitionem, vi cujus recipiat, foveatque luem juxta omnes quibus quemque afficit varietates, cum lues ſæpe infantibus funeſta ac juvenibus ſit, ſenibus exceptis, atque ex adverſo invadat ſenes, parcatque juvenibus, nec deſint exempla peſtis Viris potius infauſtæ, quam fœminis, aut viciſſim, aliis utrique ſexui æque inſidiantibus; notaque ſint exempla utriusque ſexus hominum audacter verſantium inter infectos ſine noxa, cum alii graviſſimè fuerint puniti ſubitò ob temeritatem iſtiusmodi: Hæc enim adeo non excludunt ſeminii ejusque propagationis certitudinem, ut potius eam firment, nec aliud quidquam innuant, quam & hîc occurrere τὸ θεῖον, ubique in peſte obvium, ubi ſemper hæret aqua cœcæ noſtræ rationi in plurimorum phænomenorum ratione reddendâ, nec ægrè feramus nos talia idioſyncraſiæ ſpecimina, earumque cauſas ignorare, cum ne ea quidem evidenter, ac rectè quà rationes genuinas ſciamus, quæ vulgò habentur pro perſpectiſſimis. Cæterum cum de peſtis ſeminio ſermo eſt, locutio illa analogica erit, niſi vermium ova peſtem excludentia ac conſtituentia cum aliis in ſcenam adducas, quæ & ridet Anonymus; operæ tamen pretium fuerit ad vermes peſti non rarò adjunctos attendere, ſive cauſam, ſive effectum.

Quærit porrò Anonymus: Annon merces allatæ ſint ex variis Turcici regni partibus, dudum ſuſpectis ob frequentiſſimas peſtis graſſationes; ac non obſtante tamen perpetuo hoc, conſtanti ac nunquam interrupto commercio; etſi mollia ac poroſa corpora mercésque Smirnâ, Scanderone, Aleppo, ac

Con-

Conſtantinopoli in Angliam advectæ ſint, nunquam tamen inde ullam Luis vel minimam ſuſpicionem ſecum attuliſſe, nec eam inde enatam eſſe per ultimos hoſce quinquaginta quinque annos. Cur nihil iſte fomes, ſi fomes ſit, ad nos attulit ex oriente quærit Anonymus, neque ſanè, inquit, omni hoc tempore ullam ſubiere allatæ ex oris iſtis merces vel quadrageſimam, vel aliam qualemcunque ſeparationem aut depurationem, ſed illatæ ſunt immediatè mercatorum ædibus; manifeſto indicio, merces rarò vel nunquam Luem aliis inferre regionibus, ſæpiusque eam ibi reperire quam efficere: dignumque cenſet memoratu, commercia Anglorum cum Suecis Polonis ac orientalibus populis maximè tum floruiſſe, cum graſſarentur inter illos vehementiſſimè diræ lues, nec ullum inde detrimentum accepiſſe fortunatam eorum Inſulam. Imò id præcipuè dignum attentione omnium cenſet, quod cum ann. 1708. atque 1709. horrendæ malignitatis Lues Dantiſcum graviſſimè premeret, aliquot centenæ Anglorum naves glacie ibi per omnem hyemem adſtrictæ detentæque nec tamen angliæ ipſi miaſmata luis horrendæ illata fuerint; additque alibi, eſſe admodum notabile, neminem Anglorum, Dantiſci hyemem duriſſimam tranſigentium graſſante peſte truculentiſſima quidquam mali illius paſſum, cum incolarum loci millia ad dexteram eorum caderent, & decem millia adſiniſtram: referens porrò ex Utenhovii peregr. Eccl. Angl. in ſæva quæ Hafniam oppreſſerit lue, exteros omnes, Anglos, Germanos, non fuiſſe infectos malo, maximè interindigenas ac crudeliter ſæviente; atque iſtos tamen exteros liberrimè verſatos eſſe inter populos infectos, inque ædibus degiſſe infectis: quapropter exiſtimat non firmam ſatis eſſe opinionem, quæ aſſerat ſervari ac transferri in loca remota cum mercibus, tanquam in ſuo fomite peſtilens miaſma; dandamque eſſe operam omnem ut ſupprimatur opinio tam malè fundata, quæ & populo & commercio Inſulæ tanta inferat detrimenta, atque illis ſit per-

nicioſa ; allegatque relationem Dr. Hodges quam reliquerit circa Londinenſis populi facta poſtquam hyeme ann. 1665. rediiſſet in urbem ; quæ argumentum experimentumque ex hibeant irrefragabile contra peſtis propagationem per fomitem aliquem, ac maximè ex uno corpore in aliud. Refert enim ille, ædes prius demortuis plenas, nunc ſubito viventibus fuiſſe repletas, tabernasque per maximam anni partem clauſas, fuiſſe omnes iterum apertas, populumque aſſidue rurſus incubuiſſe laboribus ſuis, functionibus ac commerciis, idque fidem ferè omnem ſuperare, eosdem cives, qui modo terrore exanimati ferè fuerint ac metu etiam reſpectu proximorum ſuorum agnatorum, mox metu omni depoſito introiviſſe ædes easdem, in quibus paulo antea expiraverant perſonæ peſte infectæ ; Imò ea fuit confidentia & robur animi in populo antea dejecto, ut plurimi lectis ſe committerent iisdem, in quibus demortui fuerunt alii, antequam refrigeſcerent à defunctorum calore, aut à fœtore liberati morbi horrendi ; Provocat Anonymus ad hanc Doctoris Hodges relationem, ubi non defuerit fomes, præſente quippe lana, linteis, ſerico & bombace quoque forſitan multo, maximè alias metuendo miaſmatis vehiculo ac ſuſceptore ; nec tamen ulterius tum ſerpſiſſe malum aut contagium, quod jam deſævierit antea, ſed omnes potius cum ardore rebus negotiisque ſuis incubuiſſe, nec cogitaſſe quenquam de re alia, quam de reparatione jacturæ præteritæ, ac cladium creberrimarum, idque non ſine ſucceſſu ſingulari. Quibus quidem verbis ultimis Anglica expreſſio videtur reſpicere ad phænomenon in peſte quoque Maſſilienſi obſervatum, Satyriaſin ſcilicet, laſciviamque enormem convaleſcentium plurium, de qua dubites, an magis eam adſcribas reſiduo ex ingentibus ſævi morbi turbis humorum orgaſmo & acrimoniæ, an verò magis malitiæ ac libidini cordis humani ſub triſti illa anarchia, pœnarumque tempore peſtis ceſſatione, ac Legum ſilentio, inter arma aliâs quoque obtinente vi proverbii.

Imò

Imò demonſtrationem audet Anonymus promittere ex ipſa luis indole, quæ evincat, nunquam eam, vel ſaltem rariſſimè communicari ac tranſire ab una perſona in aliam; acquieſcere tamen mavult atque inniti demonſtrationi alii eandem, quam vocat, veritatem evincenti per obſervationes, ſivè à poſteriori, quamque deſumit ex emortualibus catalogis Dn. Graunti obſervationibus profundamento ſubſtratis. Is verò in obſervationibus circa luem anni 1636. aſſerit, eam duraſſe annos duodecim, & in quolibet anno octo præcipuorum mortuos eſſe circiter 2000. in nullo verò pauciores quam 800. ex quo colligit: Pendere magis luem ab acris diſpoſitione, quam ab effluviis ex corporibus infectis emanantibus. Quod porrò nititur probare perſubitaneos ſaltus quos fecerit lues, aſcendens una ſeptimana ab 118. ad 927. ac rediens mox à 993. ad 258. atque inde mox rurſus proxima ſuptimana ad 852. Quem quidem effectum longè facilius attribuere liceat mutationi aeris, quam conſtitutioni corporum humanorum; Cumque proin hæc communis receptaque paſſim opinio circa luem peſtiferam ab uno corpore in aliud tranſmigrantem non tam firmis nitatur rationibus, quam potius opinionibus Meadeis, ſitque optimis etiam obſervationibus contraria, exiſtimat ſe audacter poſſe aſſerere rem hac via non procedere; De quo tamen mentem noſtrnm in ſequentibus declarare licebit.

Si verò per experimenta innumera his contraria convicti non poſſimus non agnoſcere, transferri poſſe cum mercibus rebusque variis peſtilentia miaſmata, (uti omninò paſſim innumera leguntur exempla) erit omninò operæ pretium, ut inquiratur ſedulò, quæ nám corpora facilius recipiant halitus iſtos pravos foveantque (neque enim ea res vel experientia vel ratione ſufficiente ſatis eſt in luce ſua poſita) quamdiu etiam ſervare queant & abſcondere noxias particulas, quamdiu illæ ibi vim ſervent ſuam, quænam differentia ſit ratione talium

corporum compreſſorum, vel laxiorum, arctè concluſorum, vel liberius æri expoſitorum. Quo ipſo intentio D. Mead non erat exſibilanda Anonymo antagoniſtæ, etſi omninò ejus via quam iniit exceptione major non ſit. Salſè ſcil. ridet, quod inquirat D. Mead quamdiu odorata corpora ſervent ſuum odorem ſi obvolvantur convenientibus ſuis involucris, moneatque fortiſſima eorum eſſe ſuccos animales, uti moſchum, Zibethum &c. æque ac miaſma luis; ac dicat, ſubſtantias quæ odores recipiant quam facillimè, easdem eſſe, quæ & luem transferant ſecum in alia loca, uti ſint pelles animalium, Plumæ, ſericum, capilli, lana, bombax, linum &c. quorum pleraque ſint ex regno animali. Si jam, ita infert Anonymus, peſtis odor eſt, erit omninò pernicioſus odor, ac ſi queat ſuſcipi à convenienti fomite, dies quadraginta non ſufficient ad depellendum à nobis, quem meritò ingenerant, metum; Nec vero crediderim D. Mead ſimile odorum eo uſque voluiſſe extendere, ſed ſaltem ad tenuitatem exhalantium particularum, cuivis enim patet diutiſſimè illos odores ſervari in ſubjectis ſemel iis imbutis. Unde omninò in certis caſibus vix ſufficient quadraginta dies ad eximendum ſatis omnem infectionis metum, aliquandò verò & pauciores ſuffecerint, analogia verò odorum ad rem certò determinandam minimè ſufficit.

Venti autem hîc quoque Anonymo non erant excludendi, qui & in præcavenda lue, & in diſſipanda, violenta quam aeri inducunt agitatione ac ventilatione plurimum valent, quamvis & in cudendo malo, fovendoque & transferendo paſſim accuſentur; id ad minimum negari haud poteſt aeris diſpoſitionem, craſin, ac qualemcunque mixtionem, quatenus athmoſphæra ſeu ex halationibus gravidus eſt, plurimum à ventis tum directè, tum indirectè, ac per accidens quoque pendere. Sanè ſi à vento in longinquum lues deferri queat, fru-

fruſtranea eſt ſpes omnis Viri ſummi de certò arcenda à regionis alicujus finibus peſte, eos enim limites cum vento facilè transvolaverit miaſma malignum. Hactenus verò haud æquè obſervatum eſt hunc transferendi modum in regiones multum diſſitas habere locum, imò potius perſuaſere ſibi alii ventos difflare ſævum miaſma, diſſipare id, ac virulentia ſua quaſi exuere. Unde & D. Mead accuſat ventorum abſentiam, aerisque hinc natam ſtagnationem, qui purificari debuiſſet per ventilationem motionemque ab iis in aere excitandam. Nec eſt quod tam acriter eum hac dere perſtringat adverſarius, pronuncietque hæc falſiſſima, omnique deſtituta fundamento eſſe; idque eam ob rationem, quod ventorum in Anglia uſus ſit multiplex: eos nunc ſpirare frigidos, nunc calentes; indeque hanc ventis adſcriptam vim eſſe nullam, cum Medici, qui obſervata circa luem anni 1665. nobis reliquerint, teſtentur, ventorum hoc anno ſtatum eum fuiſſe, qui vel votis debuiſſet expeti, atque ad nutum quaſi eos ſpiraſſe, per omnem æſtatis decurſum moderatis calorem temperantibus ac refrigerantibus ventis, aptiſſimis ad præcavendam aeris ſtagnationem, & corruptionem, auferendosque peſtilentiales halitus ac miaſmata; Fuiſſe porro calorem æſtivum adeò lenem, ut tantas corruptiones ac fermentationes efficere haud potuerit, nec pervertere fluida vitalia; Ac proin fruſtra recurrere Meadum ad defectum ventorum, natamque hinc aeris ſtagnationem, utpote tum, ut pateat, prorſus innocentes; neque enim durante ea lue perſuaſos fuiſſe Medicos aerem eſſe infectum, refertque D. Hodges, eos noluiſſe ut accenderentur ignes, ob ipſam hanc aeris puritatem, cum ignes non niſi tum ferant ſuppetias, cum aerſit impurus infectusque; Quis verò non videt iſtam unius luis conſiderationem regulam firmare non poſſe contrariam omnibus aliorum obſervationibus; Abſit ut nihil ventis tribuamus, etſi enim illi rem non abſolvant, pro

 vario

vario tamen ſuo ſtatu ac viciſſitudine moderari, augere, avertere ac diſſipare valent luem, cum & aerem & miaſmata in illo natantia, multifariam modificent, corrigant, pervertant vel alterent variè.

Neque verò inutilis prorſus eſt Meadea meditatio, ſupponens materiam luis eſſe ſuccum animalem, illique regno debitum; at quærit ſalsè Anonymus: Chare mi Doctor, cujus ille animalis ſuccus eſt? quam iſta ſunt ridicula ac prorſus ſingularia? Ne verò res tam ingenioſas rideamus, pergit ille, odor hic ſeu halitus ſuſcipitur facillimè in animalibus juxta Meadum ſubſtantiis, uti odor moſchi, moſchus verò ſervatur vulgò in pellibus & bombace, ſi in hoc, quale nam nobis animal bombacem præbet? Iſta omnia & plura alia nimio ſale conſperſa mittimus, monemusque id unum, mereri omninò hæc attentionem ulteriorem, quænam ex triplici regno corpora facilius ſuſcipiant iſtiusmodi halitus peſtilentes, etſi ab odoribus præcisè ad hos halitus argumentari non liceat, ſic enim & patebit clarius, quam quæſtionem itidem ridet, fabulamque vocat, an ſubſtantia animalis attrahat promptius fortiusque effluvia animalia, itaut hæc ruant cum impetu, ut jocatur, in amplexus ſubſtantiæ cujusque animalis; hic enim non jocis res agitur ſed ſeria ac circumſpecta inquiſitione ac meditatione. Multum enim ſitum eſt in hoc argumento, neque id ſatis hactenus fuit pertractatum à ſcriptoribus iis qui de peſte obſervationes nobis tradiderunt, etſi omnes eam attigerint rem obiter, quæ tamen ſummi momenti eſt; unde & altius erunt perpendenda, quæ D. Aſtruc in Diſſertatione ab Excell. D. Scheuchzero annotationibus egregiis illuſtrata hanc in rem tradit, circa æſtimandam veneni ex uno corpore in aliud tranſeuntis quantitatem; ecquis enim novit, vel ad numeros revocabit quantitatem ex corpore infecto emanantem? quis vim determinubit, qua effluvia ex infecto corpore expellantur? hic ſanè ultra conjecturas

ras haud licet progredi, nec fert res incerta Mathematum calculique leges. Unde & de eo adhuc penitius diſpiciendum, an, quod placet Ill. Aſtrucio, omnia corpora odorem excipientia æquè etiam & eadem proportione venenata contagii ſuſcipiant miaſmata? atque an ea quæ valent odores deſtruere in corporibus hærentes, eodem jure dicenda ſint deſtruere halitus venenatos? Denique an à poroſitatis gradibus pendeat præcisè adhæſionis promptitudo? Hîc enim nondum plena res luce fulget, nec ex ſola ſpeculatione res iſtiusmodi licet determinare quoad minutias uſque & ad eum evidentiæ gradum quem optare magis quam ſperare in re tam ardua poſſumus ob experientiæ inſtituendæ difficultatem & incertitudinem, halitus iſti ſunt tenuiſſimi, nec quidem uti halitus odoriferi ſenſu agnoſci poſſunt, quî ergò eorum præſentiam licebit detegere in corporibus quibus adhærent, ex ſolo demum effectu triſti manifeſtandam, ab aliis affirmandam, ab aliis negandam, uti reipſa nunc in Galliis fieri ſupra notavimus.

Quicquid enim hactenus ex Anonymo atque aliunde perpendimus, & quæcunque ſimilia alibi leguntur, ea non probant aliud, niſi id, etiam in hac potiſſimum lue maligna occurrere τὸ θεῖον, atque imperſcrutabile; mirabilia obſervari ac paradoxa, idioſyncraſias ubique eſſe obvias, ſed eò qua cauſam obſcuriores; Sympathias quoque & convenientias ſingulares, imò &, ſi loqui ita fas eſt, antipathias, ſeu improportionatam luis ad certa corpora alia habitudinem, quæ ea tuta præſtet; quæ quidem omnia efficiant, ut non æque promptè ſemper tranſitus veneni in alia corpora & fomites, & conſequenter translatio in alia loca contingat. Abſit verò quàm longiſſimè, ut hinc cum Anonymo, aliisque inferamus, nullum eſſe, nec metum debere incutere tranſitum contagii in alia corpora, & loca; poſtquam innumeris exemplis & ab Ill. Scheuchzero in notis ad Diſſert. Aſtruc. & ab aliis ferè omnibus, qui de peſte ſcriptis ali-

quid

quid conſignarunt, evicta eſt rei veritas atque infallibilis certitudn, ut eam porrò negans contra ſolem loqui videatur. Ea æquidem quæ ex Anglico Doctiſs. Anonymi ſcripto recenſuimus exempla ſatis oſtendunt, non ſemper eadem facilitate ac promptitudine diffundi venenum, vel adhærere alibi, vel & ſe multiplicare, ac commovere aliorum, maximè extraneorum humores, indeque multa obſervari paradoxa, & vix credibilia ſi cum aliis caſibus conferantur, ubi vel leviſſima occaſio ſuffeciſſe deprehenſa fuit pro lue propaganda. Interim tamen res ipſa, ſeu contagii tranſitus tum in homines, tum in merces, ac cum iis facta translatio, per inductionem probata deprehenditur in tot ſpecialiſſimis relationibus Medicis, quibus obloqui vix licet. Atque, his demum diebus in publicis legimus novellis peſtem Maſſiliæ omninò valedixiſſe, ita ut in publico ubique libere omnes conveniant, ac virum tamen ſaniſſimum, cum res quasdam, quæ & infectis quondam in ſervierant, excuteret, eventilaretque, peſte fuiſſe correptum. Aliorum exemplorum collectione ſuperſedemus, quæ ubique leguntur frequentiſſima. Fiunt in caſibus iſtiusmodi multa incomprehenſibilia, accidet forſan ut ea loca non inficiantur, quæ vel minimum ſibi cavent à lue, aliis ubi vigilanter omnia provideque obvertuntur. triſti caſu infectis. Providentia divina hîc intervenit potiſſimùm, diſpenſatque ea porportione pœnas ſuas, quæ mortalis ingenii aciem longiſſimè tranſcendat. Mereturque attendi potiſſimum hiſtoria illa peſtis in ſacris deſcripta Regnante Rege Iſraelitico Davide, qui aliis eam caſtigationibus prætulit. Niſi forſan ea minus ſint ad modernorum palatum, utpote obſoleta ob vetuſtatem; imò & ingrata, quia ſacra; pauci enim forſan bellis nunc peſtem præferant, ſi electio ipſis daretur, ſed & pauciſſimi ſunt hodie mentem habentes & cor Davidis. Quicquid verò horum omnium ſit, nec Anticontagioniſtæ, nec Doctiſſimus Anonymus, qui ſecuritatem

tem

tem Anglis tanto affectu ſuadet, laudatque, quid agant ſatis perſpiciunt, quisquis legerit tot peſtilentialium morborum hiſtorias particulares, ille vix oculis credet, cum videt dubitari de translatione contagii. Annectemus vel unicum Fracaſtorii, qui fortiter Anticontagioniſtis ſeſe quondam oppoſuit, exemplum, recenſet ille de peſte Veronenſi ann. 1511. ſæviente, quæ in ea urbe à Germanis tum occupata, hominum fere decem millia abſumſerat, ea durante ex una veſte pellicea non pauciores quàm viginti quinque Teutones obiiſſe: Uno ſcil. defuncto, alter induebat hanc veſtem, & hoc extincto alter, & alter porrò, donec terribili tot defunctorum exemplo monefacti veſtem combuſſiſſent. Sed nolumus immergi innumerarum quæ hanc in rem proſtant hiſtoriarum abyſſo.

Quæ cum extra omnem dubitationis aleam poſita cenſeri queant, quis non videt jam, memoratam ſupra Viri Ill. Hypotheſin nullum ex his omnibus robur acquirere, ſed metuendum ſemper eſſe viciniæ, imò & remotioribus, quantumvis etiam caveant. Nimium extulit Vir Summus humanas Vires ac providentias, earumque limitationes arctiſſimas nimium neglexit in ſua deciſione audacula. Quod de magno Eccleſiarum Schiſmate, conſenſu paucarum perſonarum tollendo, protulit, materiam forſan Theologis, Politicisque præbebit ampliſſimam diſputandi. Quærent enim alii, an hîc Deus nihil faciat? An verò famem pro lubitu arcebit Princeps? poterit plurimum proſpicere ſuis, ſed non poterit avertere grandines, ac tempeſtates, aliaque punientis DEI univerſalia mala ac noxas! Imò bellum forſan citius evitabit Princeps mitis, mitibus enim promiſſa terræ poſſeſſio? Sed nec bellum evitabunt plures etiam potentes, mitesque Ptincipes, ſi alii animo aliter ſint affecti, deliciasque in cædibus quærant ac turbis bellorum! Intervenit hic quoque vindex Dei dextera, omnem aſtutiæ humanæ vim plerumque eludens. Quid igitur ſperemus de Peſte penitus ac

C certo

certo arcenda, quæ tot modis diſpergi, transferri, ac multiplicari poteſt? Repreſſit eam feliciter Ser. Domus Brunſuicenſis, ſed pepercit forſan Dominus terris illis eo tempore; hic & peſti limites plerumque ponit; hic Ratisbona infecta cohibuit luem, ut non ſerperet in viſcera Germaniæ; etſi & cura ſedula plurimum hic valeat, modo agnoſcamus fallaciam ſpei humanæ, ac virium noſtrarum. En Tibi Galliam, potentiſſimum Regnum; en exercitus integros lui oppoſitos, nec illi coercendæ pares! Si coercere vi ſua valeant malum, cur de Rege aliò transferendo cogitant? videtur ſanè eos ad Leibnitianam hanc confidentiam haud aſſurgere, ſed metuere ſibi à digito Dei vix evitabili. Ponamus malum attingere loca in limite lineæ etiam munitiſſimæ ſita, quam facilè hinc vel unus transfuga, ſive homo, ſive beſtia id transferet ultra lineam, imò quàm levis aura ventusve ejus miaſmata ipſis, quod & fama fert accidiſſe, militibus affricet, eamque & ultra lineam propaget. Averruncare talia Dei tela inter DEI reſervata eſt, qui niſi benedixerit curæ mortalium, irrita erunt omnia; non attendit ſanè Vir ſummus, dum hæc ſcriberet ad principia ſua, nec ad exilitatem creaturarum, etiam inſignium, quæ in civitate, quam adeò extollit, Dei adeò ſunt puſillæ, ac potentia ſatis impotente præditæ, viribusque ſummè limitatis.

Quæ tamen omnia adeò non debent ardorem induſtriamque peſti opponendam imminuere, ut potius majori mentis applicatione res agi debeat, cautelæque omnes poſſibiles ſint adhibendæ, homines mercesque aliunde venientes, probè diſtinguenda, ſeparanda, quadrageſimis, morisve aliis congruis adſtringenda. Abſit verò crudelitas, quæ paſſim hodie immitius homines poſſidere videtur, qui ſibi proſpicere ſine aliorum interitu poſſent. Purificationum, correctionumque ingens eſt numerus, aer liberior, ignis, aqua, acetum, lixivium, concuſſio, agitatio, evolutio compreſſorum, mora ſat diuturna ſub aëre liberiore &c. ingentia præſtabunt commoda. Nec dicas,

miſſilia

miſſilia hæc parari in armamentario DEI, atque in obſcuro juxta Pſaltem graſſari, nec proin cura noſtra quidquam poſſe obtineri! Hæc ad DEum nos, ad preces compellant! Sed vigilantiam haud proſternant, impediantve! Obſtandum modis omnibus, quos Chriſtiana ſuggerit prudentia. Quæ præſervare à peſte queant haud adeò promiſcuè ſunt explodenda, ſed nec tam ineptè ac fieri ſolet cumulanda, ac commendanda. Et quanta quæſo, quamque miſera eſt farrago remediorum contra peſtem commendatorum, ut non poſſit non confuſio inde oriri, ac difficilis ſelectus meliorum. Ut taceam remedia abſurda, periculoſa, paradoxa, inepta, imò & abominanda paſſim commendata, quorum recenſionem præſtituta nobis brevitas excludit. Etenim & hic anxia, ac curioſa mortalium ſolicitudo ad ſtultitiam uſque ingenioſa eſt in ſeligendis, commendandisque remediis antipeſtilentialibus. Quærunt Galli ſpecificum peſtis, quale mercurius in lue venerea eſt, non refragamur, ſi id fiat modo rationali, non inepto, nec inter ſordes, ac vaga, & errante empiricorum libidine, cumulando neces lucri gratia. Id unum forſan haud incongruè hîc addemus; multum ſibi quoſdam cum D. Du Pons promittere à collatione Variolarum cum peſte, etſi nos illius analogiæ commoda nondum valeamus perſpicere. Specificum peſtis quæritur; anne inveniemus illud, cum ſciverimus eſſe aliquam inter variolas & peſtem analogiam, cum ne pro Variolis quidem hactenus detectum, inventumque ſit ſpecificum. Credemusne autem (nam & ad hæc abripimur occaſione hac orta) credemus ne, eos qui analogiæ huic favent, eò quoque tandem audaciæ progreſſuros, ut quemadmodum inſitione tempeſtiva Variolarum periculum ab iis metuendum avertere auſi ſunt, ita quoque puris peſtilentialis in vulnuſculum inſitione conentur inferre peſtem, ne ultrò accedens jugulet hominem? Quærimus hæc ſaltem ex hominibus ſeculi noſtri audaculis, non ſuademus! Etſi magno animo Britanni, Regis

Auguſti juſſu ſeptem nuper hominibus ad mortem condemnatis ea inſitione variolas accerſiverint, ac primi quantum novimus Medici Conſtantinopolitani frequentia experimenta feliciter ſint imitati, ſceleratis illis ſedula cura duplici morti Regis gratia, Deique potiſſimum miſericordia ereptis. Ubi quidem non capimus, quid Gallus Novellarum ſcriptor intelligat per: grain de verole; an puſtulam recentem, integram, pure repletam? quis hanc exſecabit integram, & inoculabit (ſit venia verbo) fronti; an ſiccatam puſtulam? illane producet variolas inſita? an verò, quæ praxis erit Conſtantinopolitana, puris granum, puris guttam inſtillandam vulnuſculo intelligit? ſed is cum Medicus non fuerit, potuit in his falli, & in narium occluſione, quam, Græco non tactam Medico, Londini adhibitam refert ad exhalationem impediendam, quamnam autem exhalationem nobis hîc narret, narium occluſione cohibendam, non conſtat. Iſtam verò digreſſionem breviuſculam vitio nobis haud vertet Benevolus Lector. Pauciora verò remedia ſufficiunt, ac plerumque cuivis loco domeſtica ac paratu facilia. Eò autem magis miramur temporibus Sereniſs. Ducis Chriſtophori ann. 1564, pro præſervatione ac curatione peſtis ſubditis commendatas, pauperibusque gratis ubique datas fuiſſe pilulas ex æqualibus Euphorbii, Maſtichesque partibus formatas cum deſpumato melle & croci tantillo; quæ quidem compoſitio minus ſolita, ac paradoxa ſatis ex literis Excell. D. Archiatri Mœglingi ad Reſpondentem datis nobis innotuit. Ita nullo non tempore ad ſingularia, paradoxa, ac minus tuta quoque confugiunt mortales paradoxi remedia, neglectis plerumque tutioirbus, adeo ut vel publica quoque Authoritate abuti queant ingenia luxuriantia, quæ commendare arcana ſua Magnatibus lucri gratia haud dubitant. Ubique verò alia peſtis methodum aliam, alia interna poſcit medicamenta, ſaltem qua combinationem ac doſes, pro climatis varietate ac hominum indole. Noſcendus primò

luis

luis genius, tum demum ſecurius aptam præſcribes methodum, quâ certas tamen ſemper circumſtantias variam. Commodum ſanè eſt ſi & Medici & Chirurgi ſuppetant; Si vero non ſuppetant, ſufficiet prudens eorum conſilium, ad circumſtantias & perſonarum & morbi reſtrictum, ſufficient aliæ perſonæ audaciores, remedia à Medicis commendata exhibentes, & externe applicantes. Lues provincialis abundè docet nec Medicorum nec Chirurgorum præſentiam ſtragem ſtupendam multum imminuere. Spes ſanè tum potiſſima erit non in robore, curâve mortalium, ſed in Domini miſericordia, quæ ſola & arcere peſtem, & graſſantem ſiſtere efficaciter ac certò valet.

Hypotheſis altera de Morte in exilium acta.

Libet verò nunc & alteram tantiſper contemplari hypotheſin, quæ in iſta Scriptorum Ill. Viri collectione legenti ſeſe obtulit, quam appellamus eo nomine quo ipſe eam in elegantibus ad ſcripta ingenioſa Ill. Angl. Comitis a Schaftsbury annotationibus eam indigitavit. Poſtquam enim Rhapſodiæ Schaftsburianæ præſtantiam agnoviſſet, dixiſſetque; Eram hîc in ipſo ſublimis Philoſophiæ ſacrario totus in extaſin raptus; inveni enim omnem Theodiceæ meæ ſeriem, ante ipſa ejus incunabula in proſcenium productam; inveni univerſum pleniſſimè cohærens (tout d'une piece) pulchritudinem ejus, atque univerſalem harmoniam; evaneſcentiam mali realis, reſpectu maximè totius ſyſtematis; unitatem verarum ſubſtantiarum; maximam unitatem ſubſtantiæ ſupremæ, cujus ceteræ omnes emanationes ſunt atque imitationes pulcherrima ibi luce radiant. Nihil deeſt niſi Harmonia mea præſtabilita, mea mortis proſcriptio, reductioque mea materiæ vel multitudinis ad unitates, ſimplicesve ſubſtantias. (Il ne manque preſque que mon Harmonie preetablie, mon banniſſement de la mort, & ma reduction de la matiere ou de la multitude aus unités, ou aus ſubſtan-

ces ſimples.) Non quæſiveram hic Philoſophiam aliam quam Lockianæ ſimilem, ſed ultra ipſum Platonem, Carteſiumque abreptus ſum, ſi vidiſſem hoc opus ante Theodiceæ publicationem, eo ſanè uſus fuiſſem multo cum fructu, indeque transtuliſſem plurima. Hæc eſt illa animalium inextinctio, ſeu indeſtructibilitas, uti eam vocat D. Maizeaux in Epiſt. ad D. Abbatem Conti, qui hanc ex Ill. Viri fragmento aliquo addit deſcriptionem: Noluit D. Leibn. monadibus tribuere tranſitum ex corpore uno in aliud, ſic enim reduxiſſet Metempſychoſin; mavult recurrere ad transformationes obſervatas à Swamerdamio, Malpighio & Lewenhœkio, ſupponens animal omnemque aliam ſubſtantiam organicam non incipere tum, cum nobis oriri illa videtur, apparentemque ejus generationem non eſſe niſi evolutionem, ſpeciemque augmentationis: Magna verò hîc ſe offert difficultas. Quid fiet, ita regerent alii, de animabus illis formiſve poſt mortem animalis, ac deſtructione individui ſubſtantiæ organicæ? alia ſecundum D. Leibnitium ratio elabendi non datur, niſi dicas cum ipſo, conſervari non animam ſolam ſed & animal ipſum, ejusque machinam organicam, etſi deſtructio partium craſſiorum eam reduxerit ad parvitatem, & ſenſus noſtros fugientem, & illi parem quà gaviſum fuerat antequam oriretur ſeu naſceretur, vel potius conciperetur; atque omnino ſecundum D. Leibnitium nemo verum mortis tempus noſſe poterit, quæ diu haberi poterit pro ſuſpenſione ſimplici actionum notabilium, ac re ipſa nihil aliud unquam eſt in animalibus, teſte reſuſcitatione muſcarum in aquis ſuffocatarum & poſtea cretæ pulvere obtectarum &c. Congruum igitur naturæ eſt, cum animal ſemper fuerit vivum atque organicum, ut idem tale quoque perpetuo maneat. Et quoniam ſic nulla eſt generatio, quæ prima dici queat, aut omnino nova animalis ullius generatio, ſequitur inde neceſſario, nullam quoque ullius finalem dari extinctionem, ſeu mortem totalem

metaphyſico

metaphyſico rigore dictam, & conſequenter loco tranſmigrationis animarum, non dari niſi transformationem ejusdem animalis, prout ejus organa diverſimodè ſint complicata, minusque aut magis evoluta. Ipſe vero D. Leibnitius ita ſcribit ad D. Maizeaux: Hominibus non denego id privilegium, quod animalibus conceſſi; ac credo proin, animas hominum præextitiſſe, non equidem ut rationales animas, ſed ſolùm ut ſenſitivas, quæ non pervenerint ad altiorem hunc, rationis ſcil. gradum, niſi cum homo, cui illa anima erat deſtinata, conciperetur. Coævam mundo exiſtentiam non brutorum ſolum animabus ſed generaliter omnibus monadibus, ſimplicibusve ſubſtantiis, ex quibus phænomena compoſita reſultant, tribuo, exiſtimoque animam quamvis aut Monadem ſemper junctam manere organico corpori, quod tamen perpetua in mutatione ſit, adeò ut corpus idem non maneat, etſi anima maneat eadem & idem animal. Iſtæque regulæ locum quoque habent intuitu corporis humani, ſed dubio procul modo excellentiore quam reſpectu aliorum animalium nobis cognitorum: cum homo non ſolum debeat manere animal, ſed etiam perſona & civis in civitate DEI, qui eſt perfectiſſimus ſtatus poſſibilis ſub perfectiſſimo Monarcha.

Domino autem Remondo ita ſcripſit Ill. Leibnitius: ad Metempſychoſin quod attinet, exiſtimo ordinem rerum eam non admittere, ille enim requirit, ut omnia ſint explicabilia diſtinctè, atque ut nihil fiat per ſaltum, ſed tranſitus animæ ex uno corpore in aliud eſſet ſaltus inexplicabilis atque extraordinarius. Idem ſemper fit in animali, quod nunc in eo contingit, id eſt, corpus eſt in perpetua mutatione, inſtar fluvii, atque id quod nos vocamus generationem aut mortem, aliud non eſt, niſi mutatio & celerior & major quam eæ ſunt, quæ ordinario fiunt; qualis ferè eſt ſaltus, vel cataracta alicujus fluvii. Sed hi ſaltus non ſunt abſoluti, neque tales quos improbo, qualis ille foret, quo corpus perveniret ex uno loco in alium ſine tranſitu per-

medi-

medium. Tales ſaltus non ſolum prohibiti ſunt in motibus, ſed in omni rerum ordine ac veritatibus. Oſtendi hinc D. Hartſœkero ſuppoſitionem vacui & atomorum ad tales nos ſaltus deducere. Uti igitur in linea quadam Geometrica certa dantur diſtinctaque puncta, quæ appellantur ſumitates, puncta inflexionum &c. danturque lineæ quæ infinita habent talia puncta; ita concipienda quoque ſunt in vita animalis alicujus, vel perſonæ, tempora mutationis extraordinariæ, quæ omninò quoque ſunt ſubjecta regulæ generali; æquè ac puncta diſtincta curvæ poſſunt determinari per naturam ipſius generalem, ſive per ipſius æquationem; ſemperque dici poteſt de animali aliquo: (c'eſt tout come ici) ſemper idem; differentia ſaltem eſt quoad plus vel minus. Et quia concipi poteſt, evolutione ac mutatione materiæ corpuſculum animalis ſpermatici poſſe fieri talem machinam, qualis requiritur ad formandum corpus hominis organicum; oportet ut ſimul anima, hactenus tantum ſenſitiva, facta ſit rationalis, propter harmoniam perfectam, quæ obtinet inter animam & machinam; cum verò hæc harmonia ſit præſtabilita, ſtatus futurus jam erat in præſenti, & intelligentia quædam perfecta prævidiſſet diu antea in animalculo illo hominem futurum, tum quà animam ſeorſim, tum quà corpus. Sicque nunquam purum putum animal fiet homo, & animalia ſpermatica humana quæ non pertingunt uſque ad magnam transformationem per conceptionem, ſunt pura puta animalia. Ut verò adhuc diſtinctius Viri Inſignis mens pateat, hanc adhuc ex Monadologia addere libet declarationem rei ejusdem clariorem: Quodlibet corpus vivens gaudet Entelechia quadam certa ac dominante, quæ in animalibus ipſa anima eſt, membra verò vivi hujus corporis repleta ſunt aliis creaturis viventibus, plena animalibus, quorum quodlibet ſuam quoque habet peculiarem entelechiam dominantem. Abſit verò ut cogites, me animæ cuivis tribuere certam maſſam vel portionem

mate-

materiæ, quæ illi ſemper propria quaſi adhæreat, eamque proin alia perpetuis ſuis ſervitiis deſtinata viva corpora poſſidere; omnia enim corpora fluviorum more in perenni fluxu ſunt, appulſuque, ubi indeſinenter certæ partes affluunt, certæ vero abſcedunt. Anima igitur corporis ſui mutationes ſaltem per gradus experitur ac ſenſim ſenſimque, adeò ut nunquam ſimul ac ſemel omnibus ſuis privetur organis, uti videmus in animalibus ſæpe metamorphoſin ac mutationem formæ, nunquam verò metempſychoſin, ſeu animæ tranſmigrationem contingere, multò minus animæ deprehendentur ab omni penitus materia ſeparatæ. Idemque hoc efficit, ut nunquem plena aliqua generatio, aut mors perfecta, ſi uterque terminus ſtrictè ſumatur, in natura queat contingere; idque quod nos appellare generationem conſuevimus, non eſt niſi evolutio atque augmentatio, uti ex adverſo id, quod mortem appellamus certa quædam involutionis ac diminutionis ſpecies eſt. Cumque non ex putredine confuſaque maſſa oriantur animalia, ſed ex ſemine in quo ſtamina eorum latent, dubitandum non erit, etiam ante conceptionem ſimul ibi quoque eſſe animam, ac proin totum animal; per conſequens animal hoc per conceptionem ad inſignem transformationem ſaltem redditum fuit aptum, ut fieret nimirum alius generis animal, uti ex vermibus muſcæ, ex erucis papiliones prodeunt; Animalcula quorum aliqua ad gradum maximorum animalium mediante conceptione elevantur, dici poſſunt ſpermatica. Ex iis verò, quæ manent in ſua ſpecie, quædam naſcuntur, multiplicantur ac iterum concidunt inſtar animalium majorum, parvusque eſt eorum numerus, quæ vi certæ cujusdam deſtinationis ac ſeparationis tranſeunt in theatrum longe majus.

Sic verò dimidia ſaltem, ita pergit, pars veritatis, quam hic firmamus, elucet, hinc judicavi, quod, ſi animalia nunquam naturaliter capiant initium, ea pari ratione naturaliter finem

D non

non habere; ac proin nec generationem dari, nec plenam deſtructionem, nec mortem ſtrictè dictam; Itaque ratiocinia à poſteriori & ab ipſa experientia deducta, conſentiunt omnino cum veritatibus meis fundamentalibus à priori ſupra deductis. Licebit itaque dicere non animam ſolum, ſpeculum indeſtructibilis ædificii mundani, pariter deſtructioni obnoxiam non eſſe, ſed & ipſum animal hac gaudere proprietate, etſi machina ejus ſæpius dividatur, concidat ac diſſolvatur, illudque certa veſtimenta organica vel deponat vel iterum aſſumat.

Hæc adducta ſunt paulò plenius in eorum gratiam, qui hanc mortis proſcriptionem noſſe penitius deſiderabant; utinam verò nunc liceret nobis in vaſtiſſimum illum diffundi campum, monadesque & junctas ipſis machinulas in omni ſua latitudine contemplari, prout univerſalis harmoniæ ſunt fundamenta, (de l'univers tout d'une piece) efficientes ſcilicet ut totum quaſi univerſum unica conſtet compage indivulſa; ſed præſcriptus breviuſculæ diſſertationi finis id non patitur, alii res illa occaſioni ſervanda eſt. Nec mittimus falcem in alienam meſſem, relinquentes altiori foro morales quæ hic exſurgunt difficultates, circa peccatum originale, ſummam hominis malitiam, circa corpus quod mortuum dicitur ob peccatum, reſurrectionem maximè, ac ſpirituale corpus, quod phyſico opponitur &c. Hæc altior Schola diſquirat, ſi operæ pretium videatur profundius rem edoctis.

Nec diſſimulare verò licet innumeras ex fonte hoc pullulare difficultates, quas minores tum ſibi Vir Ill. animo conceperat, qui forſan omnem hominis ægri ſanique, mortui ac vivi ſtatum haud clara ſatis evolutaque idearum conſecutione mente ſibi præſentem ſtiterat; & mireris omninò quî par fuerit intellectus Ejus tam multiplici innumerarnm idearum combinationi, quæ plerumque non ſine inſigni acumine judicii & ſoliditate conceptuum ſe exeruit. Non eſt poſſibile, difficul-

tates

tates hic omnes tanta brevitate evolvere, quaſdam ſaltem indice quaſi digito tangemus ac monſtrabimus, plenius in Lectorum mente diducendas, evolvendasque; forſan enim acutiores earum ſolutionem ultrò ſibi habebunt obviam, quæ cœcutientibus nobis nondum occurrit. Nemo verò eſt, qui non videat primam percipuamque difficultatem ſeſe offerre circa ipſam Machinæ indeſtructibilitatem, dum ſtatuitur animam quamvis aut monadem ſemper junctam manere organico corpori, quod tamen perpetua in mutatione ſit, adeò ut corpus idem non maneat, etſi anima eadem maneat, & idem animal. Hoc equidem mente haud difficulter concipio, animam jungi poſſe rudimentis minimi corpuſculi ſeu machinulæ, poſſe hanc machinulam parvulam augeri, excreſcere, eaque capere incrementa quæ ipſius competunt ſpeciei, poſſe hanc Machinam iterum diſſolvi, deſtrui, concidere; at verò id non poſſum hactenus concipere, unde monadi, ſeu animæ, fatiscente hoc corpore, novum accedat corpus, vel qua ratione idem maneat animal; ſi dicas manere ſemper junctam parvulam machinulam monadi, oſtendendum tamen erit, unde illa trahat originem, unde emergat, ubi deliteſcat, vel educatur. Cogita corpus Balænæ, ac corpus muſcæ; utrumque deliteſcit, ſi lubet id ſtatuere, in ovulo ſuo, ſeu cicatricula ſeminali, evolvitur utrumque, creſcit, & quantitatem ſibi congruam nanciſcitur, idem corpuſculum, quod inconſpicuum, quod minutiſſimum erat, nunc vaſtam Balænæ molem diſtenſione ſua conſtituit, & muſcæ molem, ſatis in ſe grandem reſpectu rudimenti, etſi parvam reſpectu Balænæ, moritur utrumque animal; ubi quæſo utraque machina eſt, quæ manet juncta monadi, corpus quod conſpicitur idem eſt, quod erat in rudimento, & nunc putreſcit ac diſſolvitur; ſi dicas parvulam quandam remanere machinulam monadi junctam, nihil dices; unde enim illa eſt, unde extracta? ubi latuit? ſingula mem-

bra animalium pereunt ac diſſolvuntur, ergò & tota animalis machina, ergò prius animal non manet; fruſtra regeres: Corpus deſtruitur, machina non deſtruitur; annon enim ipſum corpus eſt machina? an aliud corpus, aliud machina eſt? quî differunt hæc? an monas corpore durante duas regit machinas, machinam futuri ſtatus, & corpus præſentis? ſi dicas ex corporis quaſi exuviis prodire machinam, nihil dicis, quia ſaltum dicis ordini rerum vim inferentem; ſi regeras veſtimentum aliud, aliud pallium induere idem animal; quæram, unde id pallium? an ex priori corpore? an ex toto, vel certa parte? an extractum ex ſingulis? qua arte methodove? an decerptum ex toto, quomodo hoc ſine ſaltu, & ratione explicabili? ordo rerum talia vix admittit exſculpenda. Quomodo enim putreſcente machina alia nova ex priore ſe jungit monadi? ne vermis quidem ex putredine oritur, multo igitur minus talis machina; ſi cenſeas eam antea jam adfuiſſe, fatearis oportet unam monadem duabus machinis fuiſſe junctam, duarum ſtatus repræſentaſſe, quod ſine confuſione ne cogitari quidem poteſt. Dudum quoque Poiretus ſtatuit, animæ poſt mortem unitum manere tenue corpus, at nec ille ejus originem potuit aſſignare; quî ergò eam dabunt aſſeclæ Viri Illuſtris? Si recurras ad metamorphoſin, deprehendes eam aliis animalibus non ita, uti inſectis convenire; pone transformationem canis ex animalculo ſeminali, in canem perfectum, ubi canis in animal aliud à morte metamorphoſin vel invenies, vel oſtendes ulla probabili via? eadem, imò intricatior hominis ratio? Quid quod & illa, quæ metamorphoſin patiuntur animalia, moriantur! muſcæ moriuntur! ſi dicas monadem mutare corpus non machinam, nec animal; regeram, inexplicabilem eſſe hanc novæ machinæ aſſumtionem, rogaboque ut cogites muſcam combuſtam, monas in combuſtione manet, machina & quicquid organici eſt comburitur, deſtruitur! En

Tibi

Tibi, Monadem ſine machina! animam ſine corpore!

Idem de papilione in aprico eſt; ejus totum corpus concidit, & diſſolvitur, quænam machina ſuperſtes oſtendi poteſt oculis vel corporis, vel mentis? nil hic niſi tenebræ ſunt! At papilio numeroſa parit ova antequam moriatur; benè eſt, ſed ova hæc ejus pars non ſunt, nec machinæ ejusdem monadis, quæ fuerat eruca, & poſtea papilio, ſed ſunt novæ aliæ machinæ, quarum quælibet ſuam habet monadem, nihil inde accedet monadi ſua machinæ ſpoliatæ per mortem, vel ignem in perpetuum, niſi detur metempſychoſis jam rejecta abſolutè. Sequamur tale inſectum in mutatione ſua; ovulum papilionis excludit vermiculum, vermiculus tranſit in erucam, hæc poſt voracitatem ſuis filis irretita dormit, donec prodeat ex ſericea ædicula papilio; hactenus omnia durant, ſed moriatur nunc papilio, quid machinæ ſupereſt; oſtendatur modus explicabilis! ovula ante depoſita ad monadem popilionis non pertinent, ſed ſua vivunt quadra, ſua gaudent monade, nil reliquum eſt machinæ monadi jam viduatæ. Sed ſequamur & hominis geneſin, breviori adhuc via ad terminum perveniemus; ex rudimento ſeminali exurgit humana mirabilis machina, durat ea vel diutius, vel parum etiam, ſi concidat, ſi putreſcat, ubi machina, monadis tam excellentis individua comes ac ſocia; unde exurgit illa, ſi cum ea civem in Civitate Dei debeat conſtituere; an nova ſub corporis diſſolutione efformatur machina, an verò prius illa efformata aderat? ubi latuit? ſub quo Schemate per tot luſtra vitæ ſe occultavit? & requiritur tamen ea illicò, ſi monas ſine machina eſſe haud queat!

Nec lucraberis quidquam, ſi ovulis, ſeu latentibus in eorum cicatricula rudimentis ſeminalibus ſubſtituas vermiculos ſeminis maſculini Lewenhœkianos; ac mirari ſubiit primò cum adverterem Virum acutiſſimum abripi ratiocinio Viri op-

timis quidem microſcopiis inſtructi, ſed ad acumen judicii Leibnitiani in rebus naturalibus nulla approximatione aſſurgentis? Sumus verò miſeri mortales; amamus hypotheſes noſtras, & amamus quoque ea omnia quibus fulciuntur; ſervimus illis! Nec mirabor amplius, ubi, agmine quaſi facto, plures jam Viros excellentes video eosdem vermiculos præferre rudimentis muliebris ovarii. O verò miſeram cohortem vermiculorum, quorum tot milliones millionum cogantur manere bruta ex hac hypotheſi, nec corpuſculis eorum ad machinas humanas, nec monadibus ad animæ humanæ dignitatem elevatis; Nova hic atque intricatiſſima Electio naſcitur, eaque mirè fatalis! at ſimul naſcitur ineluctabilis difficultas! poteritne anima ſenſitiva elevari ad diguitatem rationalem? an & hic præſens gravidum fuerat futuro? an ſub alia ſpecie monadis latuit ratio? atque ubi latuit peccatum? & quod difficilius erit ſolutu; quî anima hæc inde à morte minutiſſimæ iterum ut prius machinulæ juncta rurſus fiet ſenſitiva? debet enim accommodari machinæ quam repræſentat, quæ ſi redeat ad primævam parvitatem, redibit & illa ad ſtatum ſenſitivum, ſi his principiis inſiſtamus. Niſi forſan te extricare ex his valeas per verba Theodiceæ ſequentia: Quia corpus eſt præformatum in rudimento & jam organicum, credibile quoque eſt, id jam fuiſſe animatum, ac habuiſſe eandem animam, uti vice verſa judico ex conſervatione animæ ſemel creatæ, ipſum quoque animal conſervari, mortemque apparentem aliud nihil eſſe quam involutionem, cum non videatur convenire ordini naturæ, ut dentur animæ ab omni corpore ſeparatæ, vel ut ea quæ naturaliter non incipiunt, Viribus naturæ deſtruantur. Stabilito autem egregio hoc circa animalia ordine, æquum non eſt hominem omninò ab eo excludere, ita ut omnia in anima ejus miraculo fiant. Convenit enim ſapientiæ divinæ, ut omnia in ejus operibus ſint harmonica, ac natura

ſem-

ſemper gratiæ parallela. Credam hinc, animas, quæ aliquando humanæ futuræ ſunt, æquè ac reliquas jam fuiſſe in rudimentis ſuis atque in Majoribus uſque ad Adamum, atque extitiſſe inde ab ipſis rerum initiis in certo quodam corpore organico. Erant vero tum illæ animæ ſaltem ſenſitivæ, accipientes demum in generatione rationem, ſive detur medium naturale elevans ſenſitivam animam ad gradum rationalis animæ, (quod quidem concipere haud valeo) ſive Deus dederit huic animæ rationem per operationem particularem, aut (ſi mavis) per quandam quaſi transcreationem; eo facilius admittendam, quod Revelatio doceat, plures quoque alias dari immediatas Dei in animam actiones. Sic videntut tolli obſtacula & Philoſophis & Theologis hìc obvia; ceſſatque omnis de origine formarum difficultas; cum ſit longe convenientius juſtitiæ divinæ, ut largiatur animæ jam phyſico aut animali modo infectæ per Adami peccatum, novam perfectionem, quam ut immittat rationalem animam per creationem, aliave via, in corpus, in quo moraliter demum debeat corrumpi. Hactenus Theodic. Et ſiquidem nunc vermiculum talem ſeminalem libeat ſequi per metamorphoſes ſuas, ignorabimus ſanè an ille nos deducturus ſit ad uterum ſaltem, cui affigetur ſuis radiculis, an vero ad ipſum uſque per tubam ovarium, & per patens in radicula ovuli foramen in ovum irrepat, utramque certe viam ſtatuunt egregii Viri: Sit igitur uti libet, fiat vermis homo, monas in animam exaltetur ac promoveatur, vivant concordes hi conjuges, eo facilius, quia nullum inter ſe commercium habent, quid fiet in morte ſive ſtricte dicta, ſive late? redibitne magna machina ad minutiem vermis ſine ſaltu prohibito in ordine rerum? En quomodo incedamus hìc per ignes ſuppoſitos cineri doloſo, ubi figemus pedem ut tuta ſint veſtigia noſtra; Si opponas, eandem manere machinam, non idem corpus

impli-

implicaberis, qualem enim intellîgas machinam vix modo explicabili dixeris; & ſiquidem urgeas idem corpus non manere, redibit in ſcenam rejecta jam metempſychoſis, quæ nil aliud dicit, quam monadis in corporibus diverſis habitationem ſucceſſivam; hic verò corpora ſupponuntur diverſa, nec eadem manent; quomodo igitur idem animal?

Sed cohibenda tandem eſt effrenis noſtra interrogandi licentia, cum vel nunc demum commodè incidamus in memorabile effatum Illuſtr. Leibnitii, dicentis: Loquor in hac re (Harmonia ſcilicet præſtabilita & univerſali) cum confidentia quadam, cujus ea quidem ratio eſt, quod mentem meam his in rebus haud ob firmaverim, donec omnibus undiquaque circumſtantiis plenè probèque perſpectis, diuque penſitatis, absque faſtu forſan ullo atque hæſitatione poſſim mea facere notiſſima illa verba: Omnia percepi, atque animo mecum ante peregi! Hæc ſanè verba monere nos omninò debent, ut & nos altius iſta diutiusque penſitemus, antequam de Viri ſummi hypotheſibus ferre ſententiam ulteriorem ac plenam ſuſtineamus. Hæ itaque ſufficiant nunc quidem conjecturæ!